

096

094

100

090

105

085

145

045

195

Ende

Anfang

81

Marco in villa, et postea cibum sumpsimus, et inde recessimus.
Est autem ab illa villa descensus de montanis et exitus ab
eis, et ita in campestrem terram venimus, valde fertilem,
plena segetibus, arboribus fructiferis et vitibus, quam
transcurrentes in Tarvisium civitatem venimus, mansuri ibi
per aliquot dies, quounque equos nostros venderemus. Non
enim amplius erant nobis equi necessarii, quia non longe a
mari eramus.

Vicesima sexta die erat festum S. Desiderii, qui in
ecclesia Cathedrali quiescit ibidem. Et fecerunt Tarvisini
magnum sollemnitas cum processione per civitatem; et cum
omnis plebs in ipsa majori platea congregata esset, fecerunt
ludum, in quo illius sancti legenda gestibus hominum ad hoc
instructorum celebri spectaculo expresserunt; cui et nos
peregrini astetimus, cum admiratione quidem, nescio si cum
dovotione. Post prandium venerunt Italici multi ad hospitium
nostrum, videre et emere equos nostros cupientes, in quorum
venditione habebant mirabile litigium inter se ipsi Italici.
Accurrebant enim, et unus alium praevenire conabatur, et
interrumpabant sibi ipsis forum, et se ipsis verbis opprobriosis
lacerabant, et viri senes ac divites et honorati simul sicut
pueri certabant, et unus in displicantiam alterius majorem
pecuniam offerebat, quam equi valebant, et cum industria
unus alteri praejudicabat. Et in hoc litigio nos in pace
stetimus, et bene equos nostros vendidimus, et sic transivit
dies illa.

Notandum quod ab oppido Pontinense usque huc loca
descripsi, ideo quia in reversione non veni per illam viam
in Pontinum, sed per aliam ut patebit. Ulterius autem
nullum locum describam in ingressu, sed in reversione om-
nia loca, ad quae declinare me contigerit, describam. Et
ideo descriptionem Tarvisii, et aliarum civitatum servabo in
reditum etc. Festino enim in Jerusalem, ad quam firmavi
faciem meam, nec quiescam, donec clarissimam illam et
desiderabilem urbem iterato videam. (B)

Vicesima septima die, quae erat dominica Cantate, Missam
Tarvisii audivimus et cibum sumpsimus. Post prandium vero
equos, quos Martyres nominant, conduximus, pro nobis et

